



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



A. Diss. 5710

VINDICIAS

LEG. I. §. IV. D. DE I. ET I.

DE IVRE

QVOD

NATVRA OMNIA ANIMALIA

DOCVIT

CONSENSV

ILLVSRIS ICTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

PRAESIDE

GOTTLIEB KORTTE

PHILOS. ET I. V. DOCT. IVRISQVE

P. P. EXTR.

PVBlicae DISQVISITIONI

SVBIIICIT

AVCTOR RESPONDENS

HENRICVS GOTTLIEB

SHELLHAFFER

LIPSIENSIS

D. XXV. SEPT. A. MDCCXXVII.

H. L. Q. C.

---

LIPSAE,

LITTERIS IMMANVELIS TITII.

UNIVERSITÄT  
REGENSBURG  
BIBLIOTHEK  
VERZEICHNIS  
DER  
BÜCHER  
DIE  
DURCH  
DIE  
GÜTE  
VON  
HERRN  
DR. J. M. ...  
UND  
HERRN  
DR. ...  
ZUR  
VERFÜGUNG  
GESETZT  
SIND  
DARIN  
BESONDERES  
DIE  
BÜCHER  
DIE  
DURCH  
DIE  
GÜTE  
VON  
HERRN  
DR. J. M. ...  
UND  
HERRN  
DR. ...  
ZUR  
VERFÜGUNG  
GESETZT  
SIND

Statl. Bibliothek  
Regensburg



*PERILLVSTRI ATQVE EXCEL-  
LENTISSIMO DOMINO*

**D O M I N O**

**HENRICO DE BVNAV**

**DOMINO HEREDITARIO IN  
DAHLEN ET DOMSEN &c**

**POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM,  
ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO AV-  
LAE, IVSTITIAE, ET ADPELLATIONVM  
CLAVIGERO, NEC NON SVMMI SENATVS  
ECCLESIASTICI PRAESIDI GRA-  
VISSIMO**

**DOMINO SVO GRATIOSISSIMO**

*SPECIMEN HOC ACADEMICVM*

**D. D. D**


**DEVOTISSIMVS GLIENS**

**HENRICVS GOTTLIEB SCHELLHAFFER**

**LIPSIENSIS.**

PERILLVSTRIS ATQVE EXCEL-  
LENTISSIME DOMINE,

DOMINE GRATIOSISSIME,



*Q*uod in publica Musarum laetitia, qua illae quidem haud immerito efferuntur, cum TE nuperrime Praesidem et Tutorem acceperint, ipse etiam ad TE, VIR PERILLVSTRIS, laetissimo animo accedam,

neque audaciae, neque temeritati, ad-  
scribes. Dudum ego merita TVA in  
republicam non minus, quam in  
ipsas litteras, suspexi et tacita venera-  
tione prosecutus sum: dudum etiam pu-  
blica ingenii TVI monumenta. hanc  
mibi fiduciam excitarunt, quod omnes  
litterarum cultores et decus et praesi-  
dium certissimum abs TE sperare que-  
ant. Litteris quidem, quod in me fuit,  
operam adhuc sedulam nauavi: frustra  
hoc fecerim, an ob rem, in TVA, VIR  
EXCELLENTISSIME, manu posi-  
tum est. Haud iniqua peto: sed lar-  
gissimos operae meae fructus tulisse vi-  
debor, si TIBI hoc Specimine Acade-  
mico innotuerim, et ita gratiam et fa-

*uorem Tanti litterarum Patroni in  
posterum promittere mihi liceat. Fa-  
ueat Deus O. M. inceptis TVIS qui-  
bus aeternitati TVAE, haud vulgari  
exemplo, prospicis, TEque in salutem  
Patriae, Litterarum atque clientum,  
inter quos ut et nomen meum deuotissi-  
ma mente profitear permittes, sospi-  
tem diutissime atque incolumem prae-  
stet. Dabam Lipsiae die XXIII.  
Novembr. Anno cIo lcccXXVII.*





## CONSPECTVS.

- §. I. *Proemium. Definitio Ulpiani atque instituti ratio exponitur.*
- §. II. *Sententia Grotii,*
- §. III. *Puffendorffii,*
- §. IV. *Seldeni,*
- §. V. *Recentiorum non-nemini,*
- §. VI. *Wesenbecii,*
- §. VII. *Hottomanni,*
- §. VIII. *Vinnii, Hoppii-que contraria notatur.*
- §. IX. *Argumenta eorum, qui rhetorice,*
- §. X. *Qui realiter,*
- §. XI. *Qui auctoritate sacrarum litterarum,*
- §. XII.

§. XII. *Qui auctoritate aliorum Scriptorum definitionem defendere tentarunt, recensentur.*

§. XIII. *Genus definitionis, et quid sit Lex, traditur.*

§. XIV. *Significatio Naturae generalior,*

§. XV. *Significatio Naturae specialior omnibus animantibus communis,*

§. XVI. *Natura hominibus propria consideratur.*

§. XVII. *Sententia nostra ab illis, qui statum societatis ex necessitate corruptae naturae deducunt, distincta redditur.*

§. XVIII. *Interpretationem nostram Vlpiani menti respondere probatur.*

§. I. *Quam*



§. I



Vam iniqui sint rerum censores,  
 qui omnem fere Philosophiam a  
 ICtorum scholis abesse iubent,  
 vel VLPIANVS L. 1. §. 1. ff. de  
 iustit. et iure docere potest. Glo-  
 ria enim, qua ICTos veram Phi-  
 losophiam, non simulatam, adse-  
 ctantes insignire voluit, horum  
 si sequeremur iudiciū, vel nulla plane foret, vel leuis  
 notae maculam secum traheret. Verum cum se bonae  
 causae, inter alios, patronum praebuerit PETRVS  
 FABER L. I. semestr. in singulari Commentario ad Tit.  
 de F. et F. actum agere nolumus: praesertim cum haec  
 eum saltem in finem differere placuerit, vt intelligat B.L.  
 nos ab illorum partibus non stare, quibus quaecumque  
 aurea praxis non commendat, vt doctrinalia, sordent,  
 eaque sicco pede praeterire, quam per solidam explana-  
 tionem auditorum patientia abuti, malunt. Si eo igi-  
 tur es animo, vt veterum dogmata ex illorum princi-  
 piis

B

piis

piis eruta se tibi probent, nostra opera et utilis, et iucunda erit: Sin vero huius generis instituta temere reiicere placet, tuo vt abundes ingenio, aliosque suas res sibi habere permittas, aequum erit. Ea vero ratione *L. 1. §. 3. ff. de Iustit. et F. Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam ius istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quae in terra, quae in mari nascuntur, auium quoque commune est, varie a variis expositam, iudicio tuo tradimus, vt primum argumentorum, quae definitionem improbant, collectionem sistamus; deinde ea, quae medicinam, sed male, parant, commemoremus; nostram denique interpretationem ex Stoicorum principiis erutam addamus.*

§. II.

HVGGO GROTIVS in *I. B. et P. L. I. cap. I. §. II.* cui, vt in hoc studiorum genere primo, merito primas discernimus, auctoritate sua nostrae definitioni vim inferre videtur. Negat enim ille ius naturae hominibus cum brutis commune esse, neque iustitiam de brutorum actionibus, nisi per figuram et improprie dictam admittit, cum eam foueat mentem, vt nihil iuris capax censeat, nisi naturam generalibus praeceptis vtentem, quam vero nullam aliam esse quam humanam §. VII. *Proleg.* manifeste declarat. Neque vero aliter pronunciare potuit vir cetera doctissimus. Cum enim quidquid ius fasque est, ex natura sociali descendere pro certo habeat, necesse illi fuit, humanam rationem ad iuris intellectum requirere, sine qua leges socialitatis neque intelligi, neque obseruari queunt. Soli enim homini (prout vulgo creditur,) vt societate gaudeat, eiusque principia cognoscat, benignissimus creator concessit.

Qaa

Qua in re CICERONEM *de Offic. L. I. c. XVI.* quem et hoc loco ab eo laudatum deprehendimus, praeceptorem habuisse videtur. Ille enim fortitudinem, quae virtus societatem non respicit, feris inesse, perhibet; iustitiam vero, aequitatem, bonitatem minime: nulla alia de causa, quam quod hae virtutes suam vim sine societate, quae in bruta non cadit, exferere nequeant. Ex quo adparet, non male a Grotio LACTANTIUM *Instit. div. L. V. c. XVII.* atque POLYBIUM *L. VI. c. IV.* vtrumque de humana natura differentem, adiectum fuisse. Inde vero, quod iuri angustiores, quam par fuerat, limites posuerit tam Grotius, quam Cicero, omnis ille error originem traxit. Ingenia enim in hominum usum praecepta parantia humanae naturae nimis intenta facile meditatio fallere potuit. Cetera vero Auctorum testimonia, quibus thesi suae vel robur, vel lucem addere voluit, nihil plane ad rem faciunt. HESIODVS enim, cui ut Poëtae omnia ad conceptus vulgares referenti in accuratiore principiorum inuestigatione nulla debetur fides, hoc praefertim loco, vbi oratoriis persuasionibus misericordiam excitare satagit, nihil, quod Grotii sententiae sua auctoritate addat, habet: quod ex tota connexione verborum Hesiodi operum et dierum v. 276. cognosci potest. PLVTARCHI vero verbis in vita Caton. Mai. T. I. p. 339. νόμων μὲν καὶ τῶν δικαίων πρὸς ἀνθρώπους μόνον χρῆσθαι πεφύκαμεν, i. e. *lege et iustitia aduersus homines tantum natura utimur*, a Grotio laudatis, si sequentia addamus: πρὸς ἐνεργείας δὲ καὶ χάριτας ἔστιν ὅτε καὶ μὲν τῶν αἰλόγων ζώων ὡς περὶ γὰρ ἐκ πηγῆς πλεονείας ἀποβ-  
ρεῖ τῆς ἡμερότητος. καὶ γὰρ ἵππων ἀπειρηκῶτων ὑπὸ πόνο, τρεφῶν,  
καὶ κυνῶν ἐσκυλακίῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ γηραιοκίῳ τῶν χρηστῶ προσήκ-  
ουσιν.



ον, nemini non patet, Historicum non quis iuris naturae  
 peritia sit censendus, sed qua ratione officia vel perfecte  
 secundum iustitiam, vel imperfecte secundum honesta-  
 tem praestent mortales, docere: Aliam igitur prorsus  
 causam agentem nostrae liti adiungere fas non erit:  
 praesertim, cum in vita Camilli bruta legis naturae  
 capacia ille idem Chaeronensis iudicat, ita Brennum  
 suos adlocutum narrans pag. 136. εἰδὲν εἰδὲ ὑμεῖς γε δευὸν εἰδὲ  
 αἰδῶν ποιῶντες, ἀλλὰ τῶν ΠΡΕΣΒΥΤΑΤῶΝ τῶΝ ΝΟΜῶΝ  
 ἀκόλουθοῦντες, ὅς τῶν κρείττων τὰ τῶν ἡττιῶν δίδωσιν ἀρχόμενος ἀπὸ  
 τῆ Θεῆ καὶ τελευτῶν εἰς τὰ θνητὰ. καὶ γὰρ τέτοις ἐκ φύσεως ἔστιν,  
 τὸ ζητῆν πλέον ἔχον τὰ κρείττονα τῶν ὑποδεετέρων. *Neque factum  
 id vestrum tamen iniquum sit: sed antiquissimam legem se-  
 quimini ducem, quae fortibus res largitur ignavorum, ducta  
 a Deo et ad bruta usque procedens. nam et his natura infi-  
 tum est, ut praeferrī imbecillioribus velint praestantiora.  
 Quam legem brutorum optime cum aliis depinxit  
 PHAEDRVS nota fabula L. I. fab. V.*

§. III.

Vestigia Grotii, vti in omnibus, ita et in hoc  
 pressit PVFFENDORFFIVS L. II. I. N. et G. cap. I. §. 4.  
 Ille enim quamquam brutis libertate intra certum gra-  
 dum gaudere concedat, tamen eis naturam valde igno-  
 bilem, quod vires exiguis limitibus sint circumscriptae,  
 et hebitudo sensuum ac abiectio adpetitus, neque circa  
 multa obiecta, idque sat perfunctorie versetur, et non  
 nisi ab iis, quae ventri inserviunt, crassis vero et vbi-  
 que obuiis excitetur, adtribuens, nullum illis morem,  
 nullam legem, nullum ius, quo aut inter se, aut aduer-  
 sus homines vti debeant, inesse adfirmat. Facit igitur  
 Puffendorffius cum Grotio nihil, nisi quod mutua  
 officia

officia ad societatem spectantia iubeant, inter iuris dictamina referens: quapropter et recte haec Iuvenal. Satyr. XV. v. 150.

*parcit*

*Cognatis maculis fera. Quando leoni  
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore umquam  
Exspirat aper maioris dentibus apri?  
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem  
Perpetuam; saevis inter se conuenit orsis,*

non citra figuram poëticam dicta autumat: cum illa quasi-cognatio male firmum vinculum est diuturnae pacis, quippe quae statim, ubi ventris respectus interuenerit, abrumpitur. Neque docet natura bruta pacta ac societatem inire, quapropter ut hominum officia praesent, ab iis non erit postulandum. recte etiam concludit auctor, secundum sua principia brutis libertatem ex legem competere, quia Deus animum iuris intelligentem illis non concesserit, praetereaque adpetitus eorum non nisi fame, siti et venere stimularetur, cui sedandae paratam copiosamque materiem natura haberet, ita ut de dominio vnicuique proprio per societatem sibi prospicere non necesse haberent. Posita igitur socialitate pro prima iuris naturae lege Puffendorffio in excludendis a iure brutis et nostrum fere adiicimus calculum: sed in determinanda illa prima lege eum a recta via abstractum esse, et adeo perperam contra bruta disputare, infra docebitur. Quae addidit ad Puffendorffium TITIVS Observ. LXXXVI. cum ex eodem fonte manent, commemorare frustraneum foret.

## §. IV.

SELDENVS in examine huius quidem argumenti nemini non palmam dubiam reddit. tantum operae impendit reiiciendis illorum rationibus, quibus volupe fuit, definitionem istam vel ex litteris sacris, vel AMBROSII aliorumque dictis corroborare, qua de re luculentius §. XII. aget. Quod autem ad destruendam ipsam definitionem adinet in *Lib. I. cap. V. de I. N. et G.* eo nititur argumento, quod scilicet illis ius non competat, in quae ipse VLPIANVS *Leg. 1. §. 3. ff. si quad. paup. feciss. dic.* iniuriam cadere neget, cum sensu carentia iuris intellectum non habeant: praeterea iniuriam ab eo, quod non fit iure, nomen traxisse. *lege 1. ff. de iniuria* idem ICTUS doceat, ita vt quibus iniuriae locus non sit, nec ad ius obseruandum teneri queant. Quo in argumento omnium ICTORUM, quoscumque euoluas, consensum habet, quibus tantum legem per legem exponendi fuit studium, vt VLPIANVM in diuersa materia versari plane non fenserint. Etenim in *L. 1. §. 3. ff. de Iust. et Iur.* principia de iure in genere proponens aliter prorsus se gerere debuit, quam in *L. 1. §. 3. ff. si quad. paup. fec. dic.* vbi ad speciale obiectum deuolutus totam doctrinam ad huius connexionem ad commodare officium eius fuit. Inde recte dicit, eam iniuriam, quae iuri ciuili repugnet, minime brutis conuenire, cum legum ciuiliu sensu careant. Quam opinionem nos non modo admittimus, sed et probamus. Et haec quidem de *Seldenii* opera: quem si euoluere pigeat, in compendio eius sententiam tibi sistet, nulla hoc quidem in loco auctoris mentione facta, RACHELIVS in *Diss. Comment.*



*ment. ad offic. Cic. praemissa §. 9. tanta quidem temeritate, vt vix plagii notam euitare possit.*

§. V.

Iam et recentiorum non nemo nobis thesin nostram illustrandi occasionem praebet, qui bruta illimitatas *moraliter* vires habere contendit, *physice* negat: cuius diuisionis fundamentum non adeo verum nobis videtur. Quidquid enim secundum vires suas agit, illud aut mechanice, aut secundum finem mouetur. Iam vero, quod bruta non sint machinae ab externo principio mouendae, ipse auctor illius adfert contra Cartesianos defendit. Quapropter necessario secundum alterum modum, nempe secundum finem actiones suas dirigere debent bruta. Omnis autem actio secundum finem instituta, moralitatem accipit. Non erunt itaque in brutis vires physicae, et morales distinguendae. Cui accedit, quod nulla detur cognitio legis et directio virium moralium, si ita loqui licet, nisi ad vires physicas, vti fontem, respicias. Quapropter omnes mortales agunt secundum vires suas physicas, & etiam agere tenentur: si modo inter vires reuera tales et a Deo per naturam concessas, atque adparentes, siue iniquas, distinguere velis. Vires enim quae finem cui applicantur non efficiunt, pro veris haberi non debent, neque a Deo eo respectu datae dici possunt. Et haec erunt, quae ad litem nostram spectant, cetera vero nostra non facimus.

§. VI.

Excussis illorum argumentis, quibus connexio totius doctrinae de iure naturae de hac re differendi necessitatem imposuit, eorum quosdam producimus, qui

qui vel ad Institutiones, vel ad Pandecten huius con-  
trouersiae mentionem fecerunt, ex quibus WESEN-  
BECIVM primum locum tenere iubemus. Concedit  
ille, hominibus cum brutis communes esse *generales* physi-  
cas; tamen non vult illas respectu animantium pro  
iustitiae regulis habere, cum homo saltem facultate iu-  
ris intelligendi, quod omnes vrgent, polleat. Praete-  
rea neque ex sola natura, tamquam corrupta ac polluta,  
iusti atque honesti regulas esse deducendas contendit;  
sed principia practica, quae istos instinctus naturales in  
gyrum rectae rationis ducant, in consilium quam maxi-  
me adhibenda esse docet. Forfan idem tibi, quod nobis,  
contingit, scilicet, vt ista principia practica te in sui ad-  
mirationem rapiant; sed sequimur auctorem, hoc mo-  
do illas definientem, quod scilicet sint *notitiae a Deo men-  
tibus inditae, vt obedientiam Deo debent, atque discrimen  
honestorum et turpium monstrant moresque regant.* Si no-  
strum hic valeret votum, optaremus sane, vt huic defi-  
nitioni ideam, qua cognoscatur atque ab aliis obiectis  
distincta reddatur *existentia* horum principiorum, ad-  
didisset auctor, cum quomodo se in homine exserant ista  
principia definitio non docet. Sed latet anguis in her-  
ba, et facile adparet, ista principia practica eandem na-  
turam cum idea innata theoretica habere, in cuius de-  
monstratione frustra laborant eius defensores. Calcu-  
lo igitur subducto, cum Wesenbecius neque na-  
turam secundum principia veterum intelligat, neque  
existentiam subsidiarii sui principii demonstrare possit,  
nihil, quo definitionem solide destruat, protulisse cen-  
sendus est.

## §. VII.

Nemo fere meliore ordine nostram definitionem impugnavit, quam HOTTOMANNVS: cuius propositiones in quatuor argumenta resolui possunt. Primo ius de nemine, nisi quem aequitas regat, dici vult. Cum vero inter bestias nullum aequitati locum esse pateat, inde colligit, neque ius illis attribuendum. Qua tamen in re eum a particulari ad vniuersale, nempe ab humana natura, cui propria est aequitas, ad vniuersam omnium animalium constitutionem falsas conclusiones deducere, quilibet deprehendit. Secundo argumento ad illud omnibus commune prouocat, quod ius a ratione ortum habeat, vel, vti CICERO docet, a natura humana sit deducendum. *L. I. de Legibus Cap. V. Nullo in genere disputandi magis honesta pateferi, quid sit homini natura tributum, quantum vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis fons legum et iuris inueniri potest.* Quem locum ab Hottomanno indigitari suspicamur. Si igitur ius humanae naturae sit proprium, illud et brutis tribuere fas non esset. Quod tamen demonstratione eget. Cicero enim non de iure in vniuersum, sed de eo tantum, quod homines concernit, verba facit. Tertio illud profert, quod nullum ius sit, vbi non detur communio. Id quod supra refutauimus §. II. neque laticere excussione indiget. Quartum denique ab absurdo

C

desu-

desumit, quia illi non consonum videtur, si omnes actiones nobis cum brutis communes pro legibus sint habendae, cibum capere, dormire, aliaque ad ius esse referenda. In quo eum ratio vehementer fefellit: siquidem omnino istae actiones, quatenus ad finem spectant, et nostrae conseruationis media sunt, moralitatem accipiunt, et ad regulas iuris pertinent. Neque homo contra ius naturae magis peccat, si pacto alium laedat, quam si cibo, potu et somno sanitati et vitae suae damnum inferat.

### §. VIII.

Tandem VINNIVS HOPPIVSque adiungitur, quorum prior ceterorum argumenta in compendio sistit, cum ita iuris expertia habet animalia, vt sint *ἀλογα*. Nam vbi ius esse debet, ibi etiam rationem, iustitiam, societatem, legem, secundum Aristotelem L. V. Ethic. cap. X. dari vult: Alter vero, ita suam proponit sententiam, vt nihil bestiis, concedat, secundum quod cum sensu agant, sed illas, vt machinas, actionum suarum non conscias ab impetu hinc et inde propelli tradat. Quod tamen demonstrare potius debuisset, quam ita nude adserere: eo magis, quod hodie a plerisque mechanismus ille desertus, et solidis rationibus destructus sit: quorum opera nobis hac in parte otium fecit. Et haec sunt, quae contra Vlpianum proferuntur. Iam interpretationes addimus, quibus Vlpianum defendere omnes tentarunt, nulli effecerunt.

### §. IX.

§. IX.

Obstitit nimirum Vlpiani auctoritas, ne eius sententia in omnem partem condemnaretur. Quapropter et censes eius defensionem parare quodammodo conati sunt. Sed neque illi defunt, qui omni animi contentione patronos se praestiterint, quos tamen rem optimam pessime egisse, confiteri cogimur. In illis quidam reperiuntur, qui definitionem, tamquam realem et proprie dictam, non admittunt, sed ad figuras rhetoricas confugiunt, et Vlpianum, ob *μυμήματα τῆς ἀνθρώπινης ζωῆς* in brutis deprehensa, per metaphoram et *καταχρηστικῶς* ius de natura bestiarum pronunciaisse, et ita se Oratorem magis, quam Philosophum praestituisse ferunt: Eum scilicet in finem, vt crassius loquendo vsui discipulorum inseruiret, quod saepe in iure factum vult MYNSINGER. ad Institut. h. t. cui et hanc rationem addere possemus, non alienum esse a ratione Stoicorum, quorum principiis Vlpianum imbutum fuisse nemo iam dubitat, rem quam maxime amplam proferre, et ita Vlpianum hocce principio ductum, objectum latius, quam par fuerat, describere maluisse. Verum cum hic sensus proprius locum habere potest, ad allegoricum recurrere iniquum est, et in regulas interpretandi peccat. Ceterum cum haec doctrina vulgaris sit, citatione plurium auctorum merito supersedemus, et solum VOETIVM in Comment. ad ff. h. t. hic indicasse sufficit.

## § X.

Alii autem, omiſſa rhetorica, realem explicatio-  
nem addere ſatagunt. ZOESIUS ad ff. per hanc  
diſtinctionem nodum gordium ſolui putat, quod ius  
naturae brutis non quidem formaliter, ſed materialiter  
conueniat: ita vt illas actiones, quae a brutis ſuf-  
cipi experientia docet, ſi ab hominibus inſtituantur,  
iuris capaces praedicet, ſi a beſtiis, minime: cui ſen-  
tentiae et alii calculum adiiciunt. Sed ſi animum rite  
intendas, ſine vlllo negotio deprehendes, haec nullam  
inferre deſenſionem realem: cum ſemper adpareat,  
etiam hac ratione ius ad materiam in brutis viſam ſal-  
tem metaphoriſe atque abuſiue adplicari. Maiori  
euidencia hoc demonſtrauit ROTHE in *Diſſ. de Philo-  
ſoph. moral. Cic. Officiis* praemiſſa, ſed eundem in modum:  
quod nimirum idem agerent bruta impetu et inſtin-  
ctu naturali ſecundum ſuam naturam, quod homines  
ſecundum rectam rationem naturae ſuae conuenienter  
ſuſciperent. Vult itaque homini et brutis ſecundum  
naturam viuere commune eſſe, et ita veterum defi-  
nitionem eſſe explicandam. Sed in eo a noſtra ſen-  
tentia aberrat: quod brutis quidem concedat, actiones  
illorum eſſe regulae obiectum, quod reſpectu princi-  
pii remotioris, quae eſt lex aeterna, in mente diuina  
exiſtens, et propinquioris huic ſubordinati, qui  
eſt inſtinctus naturalis, pro regula declarari poſſit:  
*vid. p. 61.* Regulam vero viuendi, neminem quam ho-  
minem ratione praeditum habere *p. 55.* tradit. Cum  
igitur regulam ita accipit, vt ſit omne id, ad  
quod

quod instituitur actio, et ad quod mensuratur, in confusione regulæ cum lege errat, nostrisque plane contraria adferit. Nam non quaerimus, an bruta habeant regulam in genere, sed an iis competat regula, ad quam instituant actiones ab ente sibi conscio profectas, quæ est lex. His addimus Celeb. NOODTIVM qui, vti in omnibus, ita et hic egregium se præstitit Iuris interpretem, et infra clarius patebit, Virum summum in his, quæ de *natura* dixit, omnino rem acu tetigisse. Sed hic dormire videtur noster Homerus, vbi et bruta, et homines, antequam rationis usum habeant, ita agere putat, vt nihil aliud sciant, aut possint, quam sequi ipsis bona et fugere mala. Ex quibus: *nihil aliud scire et posse* adparet, illis liberum arbitrium actiones vel suscipiendi, vel omittendi denegare. Sed hæc labes merita doctissimi viri obscurare non potest.

§. XI.

Hos Vlpiani defensores excipiunt illi, qui auctoritate vel sacrae Scripturae, vel aliorum scriptorum huic definitioni robur addere conati sunt. Pars enim prouocant ad sacras literas, Deumque et in brutis sanguinem hominum vindicaturum, Gen. IX. v. 5. Eundemque Leuit. XXII. v. 15. 16. XVIII. v. 23. de bestia per concubitum contaminata, vna cum homine hoc scelus patrans interficienda, nec non de boue cornu-peta hunc hominem interimente lapidando Exod. XXI. v. 28. disposuisse contendunt: iustitiæ autem diuinæ hæc omnia non conuenire, nisi et in brutis poenæ, iuri, le-

gigue locus esset, iactant. Quibus satisfacere laboravit Seldenus variatione. Primo enim per interpretationem medicinam adferre vult, quod verba hunc in modum sint explicanda: Deum non solum vindictam sumturum de caede ab homine siue manu, siue quouis alio telo commissa: sed etiam quae a bestia ab homine incitata profecta sit, quam expositionem iuaret Salomonis Iarchii glossa, narrans: tantam fuisse hominum impietatem ante diluuium, vt nocentissimas bestias nutriuerint, quibus in meliorem dominationem obtinendam sint vsi. vid. Selden. cap. V. Lib. I. et eius Epitom. Rachel. Diff. ad Cic. Off. §. II. Ad secundum de bestia per concubitus viciata vna cum homine delenda quod attinet, alium prorsus in finem, quam in poenam brutorum legem a Deo esse latam, recte reponit Seldenus, nempe vt euitetur scandalum, quod semper homines offendere posset visu huius bestiae: qua de causa idola Cananaeorum aliaque igne consumi ab Israelitis debuissent; praeterea vt memoriae hominis parceretur, quae semper recrudesceret vita bestiae, cum tamen iam poenae satisfacisset homo. quod vltimum vero non valet: cum semper memoria poenae alios deterrere suoque exemplo meliores reddere debeat: fatius igitur fuisset, hunc in medium proferre finem, quod rei publicae intersit, vt ignota sint vitiorum genera, ne ad illa suscipienda incitaretur hominum curiositas vid. Hopp. inst. h. t. adducta c. 4. c. 25. qu. 21. et L. 31. Cod. ad L. Iul. de adult. adde Seldenum l. c. cap. IV. et Rachel l. c. §. 12. Cetera loca, quae maiorem lucem huic thesi adferre videntur,

vt



vt ex ipso fonte haurias, volumus. Interim circumspēctis rebus omnibus constabit, nihil haec ad rem facere, cum non brutorum sed hominum actiones respiciant leges diuinæ adductae. Tertium tandem momentum de boue cornupeta interficiendo, ita refellit, quod par sit ratio cum superiore, quia dominus de custodia eiusmodi bestiae non rite sollicitus per intercessionem partis sui dominii poenam luat, et ita legis rigor non in bruta, sed in illorum dominos cadat. vid. Selden. l. c. cap. IV. Rachel. §. 13.

§. XII.

Altera vero pars eorum, qui ad auctoritatem scriptorum confugiunt, vel rhetorica proferunt, uti Ambrosium L. V. hexaem. cap. III. asinorum et equarum submissionem adulterina contagia et vera adukeria naturae, imo adulterium iumentale appellentem; C. XVI homines ex auibushospitalia iura addiscere, moresque ex animalium institutis fingere refingereque iubentem; C. XVII aues non scriptam sed natam legem stringere narrantem; Aristophanem πολλὰς ἐναὶ ὀρνίθων νόμους memorantem; D. Hieronymum in Ep. ad Ephes. L. III. cap. V, ita pronuntiantem, quod in animalibus et bestiis ipso naturae iure praescriptum est, ut praegnantem ad partum vsque non coeant, hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum, ut merces esset ex abstinentia voluptatum; Plinium L. VIII. Hist. nat. cap. XLII. et bestiis cognationum intellectum inesse tradentem, eumque Lib. VIII. cap. XVI. ita verba facientem:  
*Odore pardi coitum sensit in adultera leo toraque vi consurgit*

*surgit in poenam, reliqua tacemus: Vel falso exposita, quod contigit Aristoteli L. IX. Hist. animal. cap. LXXIV. Vbi in versione Gazae exstat, quod camelus, cum stragula a peroriga matri iniecta deceptus cum illa coiuisset, scelere suo intellecto, mordicus interemisset hominem, cum tamen in ipso Aristotelis loco his verbis: μικρόν δε ὑπερον δακῶν τὸν Καμελίτην ἀπέκτανε, nulla mentio commissi sceleris fiat: vel subleste fidei, vti Varronis L. II. de R.R. cap. VII. Aeliani L. IV. Hist. animal. cap. VIII. exempla, de equis simili arte ad matris congressum inductis, scelereque comperto se praecipites agentibus, dici merentur: vel profus alium in finem, quam in poenam brutorum suscepta negotia adferre deprehenduntur, vti est internecio sollemnis canum in capitolii vestibulo excubantium, vid. Plin. L. XXIX. cap. IV. Cetera si placet, in ipso Seldeno L. I. cap. V. et Rachel l. c. §. 10. et 14. perlustrare potes: nobis sufficit indicasse classes, quibus haec omnia adnumerari possunt, vt pateat nihil iis inesse ponderis pro confirmanda definitione iuris naturae.*

### §. XIII.

Iam recensione illorum, qui sua defensione hanc definitionem insignem reddiderint; defuncti, id, quod praecipuum erit, adgredimur, omnem operam daturi, vt, quae sit vera Vlpiani mens, perspicue proponamus. Singulas definitionis partes peculiari examine dignas censemus. Has inter primum se offert genus, quod quamuis non expresse determinatum in *Leg. 1. §. 4. de Iust. et Iure* legas, tamen cum Vlpianus

nus

nus hic in genere de iure agat, cuius speciem indicaturus Ius naturæ definit, non opus fuisse repetitione vocabuli *Iuris*, sed iam satis per *re quod* denotari, leuis atque communis est observatio. Maioris momenti erit, quid per ideam *iuris* exprimatur, inuestigare. Quam varias vero admittat significationes *L. 10. et 11. de I. et F.* declarant, quibus et illa addi meretur, quæ huius-loci est, ut nempe effectu, pro causa dicto, legem denotet. Determinato igitur *Iuris nomine*, et quid realiter per legem sit intelligendum, iam exponamus. Est autem *Ius* siue *Lex intentio Dei, ad quam ens sibi conscium actiones suas instituit*. Haec definitio legis naturam in genere explicat, nullo respectu ad certum obiectum habito, qui, cum alia ratione se exferat lex in hominibus, alia in brutis, aliter in statu naturali, aliter in statu civili, et qui ceteri sunt modi, mutationem quamdam inferre videtur, ita tamen, ut hæc idea generalis omni speciei conveniat. Non ignoramus præterea, per legem etiam denotari generaliores conceptus, nempe omnem determinationem, omnesque vires a superiore atque potentiore suis limitibus circumscriptas, quascumque in rerum natura deprehendas, quo sensu *Lucanus Pharsaliae L. II. v. 3.* utitur:

- - - *Legesque et fœdera rerum.*

item *Seneca Lib. II. cap. XXVII. de Ira: suas ista leges habent, quibus diuina exercentur.* alique veterum, quos nullo negotio cumulare licet: quem tamen sensum nostrum non facimus, sed solummodo, quatenus ista determinatio actiones ab ente sibi conscio ex prin-

D

cipio

Cipio non externo sed interno profectas, concernat, nostrum erit considerare. Talis vero legis non modo homines, sed et bruta, vel uti nostra definitio loquitur, *omnia animalia* capacia esse dicimus: Brutis enim intentionem DEI inesse, i. e. *vires a DEO ad singularem finem iis datas*, negari nequit: cum omnia, quibuscumque existentiam concessit summum numen, suis polleant facultatibus: nihil est in tota rerum natura frustraneum, et ne minimam quidem herbulam sine vsu deprehendere licet, ita ut saepe, quod vile atque abiectum habetur, magna vi a benignissimo creatore sit praeditum. Quidquid, igitur minoribus et, ut ita dicamus, ignobilioribus creaturis competit, hoc brutis iam melioris gradus maioribusque viribus donatis, denegare esset iniuria: Habent ergo bruta intentionem DEI, sed et ita habent, ut pro norma lis sit, ad quam suas actiones, ut entia sibi conscia dirigant. Non omnibus enim, quae DEVS sua lege coërcet sensus sui inest, ut, quae sibi sit virium dispositio a DEO concessa, percipere queant. Quapropter de iis lex, quatenus eius subiectum supra declaratum dedimus, dici non potest. Brutis vero notitiam sui non deesse, exinde patet; quod principium actionum suarum non sit externum, sed internum, tantaque facultate ac libertate gaudens, ut et viribus suis uti, et eas non adhibere, ipsius directioni relictum atque liberum deprehendatur. Cum igitur suarum actionum sint auctores, se ipsi sentire debent: Nam nihil suae actionis a se dependentis ignarum esse potest. Quodsi vero bruta, quae sibi sit virium dispositio cognoscunt, non potest,

potest non fieri, vt etiam, quid efficiant suae vires, et quibus limitibus circumscriptae sint, cognoscant. Haec vero determinatio virium eiusque cognitio est, quod illis pro regula agendi stat. Ex hisce nobis persuademus, a priori perspici posse, quod legis capacia sint bruta, aliaeque, si quae dentur, creaturae suarum actionum consciae. Sed et a posteriore rem declarari posse sequentem in modum putamus: In neminem cadere poenam, quam, quem lex coërcet, et hi, qui a nobis dissentiunt, non modo vrgent, sed etiam in suum vsum conuertunt: neque id rerum naturae refragatur. ille enim, cuius natura nulla lege coërceri potest, omnibus, quae saltem cogitari possunt, gaudet viribus: itaque semper, quid sibi bonum atque proficuum est, prospicit atque habet. ex quo sequitur, poenam, quod malum est, ei nullo modo contingere posse. Iam vero, si modo intentus sis animalium rebus, facile deprehendes, neque illa a malis passionis pro malis actionis, vti poenam vulgo definire solent, omnino esse libera. Bestia enim contra vires suas agens legisque terminos ita transiliens vim suae dispositioni infert, eamque corrumpendo malo se afficit. Cuius rei exemplum canis esse potest, qui vbi cibus sibi non convenientibus ita se ingurgitavit, vt stomachus tanto oneri sit impar, non modo dolore adficiatur, sed etiam ad euomendum, quaecumque deuorarat, sua natura impellitur, quod ei non voluptati esse, sed loco poenae nemo non adfirmat. Sufficit nobis, si ex hisce, quid sit genus nostrae definitionis, et qua ratione bruta concernat, probe perspexerimus.

## §. XIV.

Igitur quid differentia nostrae definitionis indicet considerare, ordo suadet. Declarandum nempe erit, quid sit, *quod natura omnia animalia docet*. Qua in re quam maxime sequimur Stoicorum principia, cum ex illorum Scholis nostram definitionem produisse Merillius in Observationibus Lib. I. cap. I. et II. aliique doceant. Possimus equidem huic loco coniecturam inferre, scilicet, placuisse nostro Vlpiano hanc definitionem magis nominalem, quam realem efficere, et ita solummodo ad terminum *naturae* respicere: cum proprium fere Ictis deprehendatur, suas definitiones magis a nomine, quam a re deriuare. Sed coniecturis insistere superuacuum arbitramur, vbi meliora principia rem explicare iubent. Vt vero ordine omnia proponamus, libet in genere quaedam de *naturae* significatione, secundum veterum principia differere, & quem sensum admittere debeamus, ostendere; his cetera propius ad nostrum argumentum facientia addere, atque suis rationibus corroborare. Quod igitur significationem naturae adinet, variam eam esse apud veteres, experientia docet, quam tamen, vt cetera silentio transeamus, in duas saltem classes dispefcimus, nempe in communem et philosophicam. *Communis* sensus per naturam *quemcunque rerum habitum* denotat, nullo respectu ad primum principium habito, et an conueniat voluntati creatoris, nec ne, sed potius saltem praesenti statui, in quo res describenda se habet, considerato. Cuius notionis exempla innumera

mera adferri possent: sed cum ea vbiuis sint obuia, operae parcendum esse existimauimus. Sensus vero *Philosophicus* per naturam indicat *dispositionem a primo creatore rebus inditam, et non tam illum statum, in quo sunt res, sed quem debent habere*, describit. Hoc indicat **SENECA**, cum naturam *Lib. IV cap. VII. de beneficiis, diuinam rationem. toti mundo et partibus eius insertam* vocet, et quam primos mortalium incorruptos secutos fuisse *Ep. XC. doceat*. Eamdem **CICERO** *Tusc. qu. lib. III. cap. I.* deprauatam hisce verbis dolens scribit: *Quod si tales nos natura genuisset, vt eam ipsam intueri et perspicere, eademque optima duce cursum vitae conficere possemus, baud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc paruulos nobis dedit ignitulos natura, quos celeriter malis moribus opinionibusque deprauati sic restringimus, vt nusquam naturae lumen adpareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo prauitate et omni opinionum peruersitate versamur: vt pene cum lacte matris errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. Haec eo pertinent, ne nobis cum illis, quibus aliud plane obiectum, nempe corruptio humani generis statui integritatis opposita per naturam denominatur, lis intercedat, et ne quis, nomine saltem audito, nos corruptam naturam pro principio habere autumet. Patebit porro*

nos in definienda natura cum PVFFENDORF. FIO *Lib. II. Cap. I. §. 5.* non facere, qui, vt naturam humanam non exlegem, atque ita brutis non communem demonstret, eo inprimis vtitur argumento, quod humana natura pluribus agigaretur cupiditatibus maiorique praedita sit prauitate. At hanc nostram incorruptam atque voluntati diuinae subordinatam, non modo Stoicis, quorum rationem hic inprimis sequimur, sed et aliarum familiarum Philosophis placuisse sequentia testantur. CICERO *Academ. qu. L. I. cap. V.* de doctrina PLATONIS morali ita fatur: *Ac primam illam partem bene viuendi a natura petebant, eique parendum esse dicebant: neque vlla alia in re nisi in natura quaerendum esse illud summum bonum, quo omnia referantur: constituebantque extremum esse rerum expetendarum et finem bonorum, adeptum esse omnia e natura et animo et corpore et vita. idem lib. I. cap. VI.* de PLATONICIS atque PERIPATETICIS pro sua sententia verbis non re diuersis ita loquitur: *Communis haec ratio et vtrisque hic bonorum finis videbatur adipisci, quae essent prius in natura.* Nec EPICVRVVM ab hac doctrina alienum fuisse *lib. I. de Finibus cap. VII.* declarat: *Confirmat illud vel maxime, quod ipsa natura, vt ait ille, adsciscat et reprobet i. e. voluptatem et dolorem.* Quibus addi potest *Lib. II. de Finibus cap. XI. et L. V. cap. VII.* vbi variae variorum sententiae in unum tamen conuenientes proponuntur. Legi tamen potissimum merentur, quae habet *libr. V. cap. VI. de Fin. Constitit fere inter omnes id, in quo prudentia versaretur, et quod adsequi vellet aptum et adcommoda*



tum naturae esse oportere, et tale, ut ipsum per se invita-  
ret et adliceret adpetitum animi: quem ἄπειρον Graeci vo-  
cant. Quid autem sit, quod ita moueat, itaque a natura  
in primo ortu adpetatur non constat, deque eo est inter  
Philosophos, cum summum bonum exquiritur, omnis dissen-  
sio. De Stoicis vero, quod naturam sequi pro prima  
omnium actionum lege habuerint monendum haud  
erit, cum quaecumque ex Stoicorum scriptis euoluas,  
illud secundum naturam viuere vtramque paginam ex-  
plere deprehendas. Vnicum audiamus Lucanum lib.  
II. Pharsal. v. 380. de Catonis moribus Stoicorum  
principis ita canentem:

- - - *hi mores haec duri inmota Catonis*

*Secla fuit, seruare modum finemque tenere,*

*Naturamque sequi.*

Et cum talia passim apud alios occurrant, quae par-  
tim etiam in vulgus nota sunt post Iusti Lipsii alio-  
rumque labores, rei per se clarae lucem adfundere in-  
cassum non laboramus.

§. XV.

Ex his igitur perspici potest, quam manifesta haec  
veritas olim fuerit, quae non modo Stoicos, sed omnes  
fere Philosophos (\*) in suas partes traxit, vti Rothe in  
Diff.

---

(\*) Cur olim ea, quae de natura, & de principio secundum  
naturam viuere disseruimus, longe magis nota et per-  
specta fuerint, quam aeuo recentiore, varias causas ad-

Diff. ad Offic. Cic. de Philos. morali thes. XX. not. a. et Heineccius in notis Vinnii Comment. additis ad Instit. de Iur. nat. et G. adnotauerunt. Consensus enim plurium, quamquam veritatem non efficit, tamen, ceteris paribus, argumentum maioris euidentiæ addere potest, præsertim si, qui iudicant, sint rerum istarum periti. Nihilominus tamen haud sine censura dimittendi essent veteres, si saltem vagum atque incertum de natura sua conceptum habuissent. Eos igitur vt famæ suæ restituamus, neque inauditos damnari patiamur, nostrum erit specialiorum eorum mentem exponere. Intelligunt vero per naturam *dispositionem creaturis sibi consciis a primo ortu inditam, se et suam speciem in suo genere conseruandi.* Quæ ita declarat CICERO Lib. III. cap. X. de Fin. *Placet his inquit (Cato, quem Stoicorum rationem explicantem Cicero sistit) quorum ratio mihi probatur, simul atque*

---

ferre possemus. Sed inter illas hæc eminet, quod antiquiores Philosophi magis ad suam rerumque omnium constitutionem adteadebant, suam etiam omni modo conseruare debebant; cum multis illorum ea, quæ de voluntate DEI aut æterna vita traduntur, dubia, aut falsa esse viderentur: Cum contra recentiores partim ab Aristotele corrupti Metaphysica sua cognitione ad nullius rei essentiam penetrarent, partim immaturis suis de Deo et Dei voluntate cogitationibus totam doctrinam de iustitia, de pœnis et quæ eo pertinent nimis perfunctorie tractarent. Eo nempe factum est, vt fontem omnium officiorum aut desererent, aut quæ de natura et constitutione hominis audiebant, aliis præceptis occupati, non intelligerent.

atque natum sit animal, hinc enim est ordiendum, ipsum sibi conciliari et commendari ad se conseruandum, et ad suum statum, et ad ea, quae conseruantia sunt eius status; diligenda: alienari autem ab interitu iisque rebus quae interitum videantur adferre. idem lib. V. de fin. cap.

IX. Ergo instituto veterum, quo etiam Stoici vtuntur, hinc capiamus exordium: omne animal se ipsum diligit, ac simul vt ortum est, id agit, vt se conseruet; quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam adpetitus a natura datur, se vt conseruet, atque ita sit adfectum, vt optime secundum naturam adfectum esse possit. Agunt igitur omnia animalia secundum hunc adfectum, eaque, quae suae conseruationi conuenientia sentiunt, adpetunt, quae contraria et sibi noxia, reiiciunt. Hunc vero in modum natura exposita, iam nullum erit dubium ius naturae non modo hominibus recta ratione gaudentibus, sed et paruulis bestiisque competere, cum singulis hisce secundum naturam viuere, quod est iuri naturae parere, conueniat. Ex effectu vero concludunt veteres ad causam, et hunc se in paruulis exferere probat Cicero Lib. III. de fin. cap. V. id ita esse sic probant, quod, antequam voluptas aut dolor attigerit, salutaria adpetant parui aspernenturque contraria, quod non fieret, nisi statum suum diligerent, interitum timerent. fieri autem non posset, vt adpeterent aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se et sua diligerent. Ex quo intelligi debet principium ductum esse a se diligendo. In bestiis vero eadem ostendere experientiam, docent

PLINIVS Hist. nat. lib. VIII. cap. XXV. Callent enim in hoc cuncta animalia, sciuntque non sua modo

E.

com-

*moda vero et hostium aduersa: norunt sua tela, norunt occasiones partesque dissidentium imbelles. SENECA de benef. lib. I. cap. III. Officia etiam ferae sentiunt, nec ullum tam inmanfuetum animal est, quod non cura mitiget, et in amorem sui vertat.* Sed et a priori rem istam deducit SENECA Ep. CXXI. Principium sensum suae constitutionis ponens eumque omnibus animalibus communem declarans: *quaerebamus, an esset omnibus constitutionis suae sensus? Sensum autem esse ex eo maxime adparet, nulli non partium suarum agilitas est - - - Animal in omnem usum sui mobile - - - nemo aegre molitur artus suos, nemo in usu sui haesit: ad hoc edita, protinus faciunt. Cum hac scientia prodeunt, instituta nascuntur - - - ergo omnibus constitutionis suae sensus est, et inde membrorum tam expedita tractatio, nec ullum maius indicium habemus, cum hac illa ad viuendum venire notitia, quam quod nullum animal ad usum sui rude est. (\*) Neque erit, quod vberius ad legis intellectum, quatenus illam §. XIII. exposuimus, quam eun-*

- (\*) Eo pertinet conscientia imbecillitatis, quae animalia per se cogit ad cedendum potentiori. Qua de re egregie D. Ambrosius in Iosepho suo, quem vulgo Hegefippum vocant lib. V. c. XV. Lex nempe naturae eadem omnibus hominibus, volatilibus, feris, bestiis infusa, ut unusquisque cedat potentiori, taurus leoni, ceruus vrso, leopardo caprea, aquilae lepus, accipitri columba: ipsi tauro iuueni inferiores, arieti ouium greges, hirco caper, ne diuersi generis esse videatur aliqua distantia, vos potioribus. Vbi obiter admonemus, vulgatas edd. in his verbis corruptas esse, *aquilae accipiter, accipitri columbas*, exhibentes. Sed Prae-

eundem sensum constitutionis suae requiras. Qua de causa in sententiam Senecae eo libentius transimus, quod per eius principia rem alias difficillimam facile solvere possimus. Etenim si dictamen rationis necessarium ad ius naturae esse putes, non potest fieri, quin ab eorum stes parte, qui, cum, quomodo ius natura

E 2 turae

les nos docuit ita, vt nos exhibuimus, scribendum esse, eamque scripturam in peruetustis membranis caste seruata, nobis ostendit. Eandem confirmat nexus orationis, et antiqui numi, in quibus haec praeda Aquilae depingitur, et praeterea *Phaedrus L. I. Fab. IX.* et ne alios memorem ipse *Hegesippus Lib. V. cap. XXXVI.* ad fin. *unum de Iudaeis fugientem suspendit captiuum Caesari ferens, gloriosaeque victor rapinae, velut lepuscultum aquila, aut accipiter fulicam ante pedes Caesaris viuentem deiecit.* Sed ad rein. Ex eadem conscientia defectus impelluntur animalia ad vires suas acuendas, ad agendum, sibi que quo licet modo prospiciendum. Neque tantum de ciuitate verum est, quod ait Caesar apud Dionem Cassium lib. XXXVIII. p. 82. *ε̄ μὴν ἀλλὰ ἀνὴρ μὲν, ὅστις ἀπεργασίαςτος ἐστὶ καὶ ἀσφαλέςατος εἶναι δοκεῖ πῶλις δὲ, ἄλλως τε καὶ ἀρχὴν ἔχουσα, τάχιςα ἀνὴρ ὑπὸ τῷ τοῦτο καταλυθῆι ταῦτα γὰρ ἔως ἔχ. ὑπὸ ἀνθρώπων ταχθέντα, ἀλλὰ ἸΠ ΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΦΥΣΕΩΣ ΝΟΜΟΘΕΤΗΘΕΝΤΑ καὶ ἦν ἀεὶ, καὶ ἐστὶ, καὶ ἔσται μέχρι περ ἀὶ καὶ τὸ θνητὸν γένος συνεχίσκη.* Sed idem etiam in brutisprehendimus a natura constitutum. Sane de apibus obseruat *COLVMELLA lib. IX. de re rust. cap. XV. nec ad excidionem gens facorum interimenda est, ne apes inertia laborent; quae cum fuci aliquam partem cibartorum absumunt, sarciendo damno fiunt agiliores.*

turae nobis sit innatum, quaestio oriatur, ad principia quaedam practica nobis innata, nostroque intellectui a primo ortu indita, tamquam ad Mineruae clipeum confugere solent. Quod tamen auxilium ad nostram thesin requirere non opus est. Sensus enim, quem supponimus, ideas de natura nostra nobis facit, ita, vt omnes rudes etiam atque inertes de sua constitutione commonefaciat, legemque diuinam sine idea innata, et vbi rectae rationis vsus cessat, omnibus mortalibus notam faciat.

§. XVI.

Explicauimus haecenus, quid omnibus animalibus sit commune. Ne vero nostris verbis malus inferatur sensus, omnesque actiones brutis convenientes et ab hominibus suscipiendae dicantur, vrgenda erit limitatio iam definitioni superius adiecta, nempe, quod vnumquodque animal se conseruet in suo genere, et ita constitutionem sibi propriam secundum quam agat habeat; vti egregie docet CICERO *de fin. Lib. V. cap. IX. quare cum dicimus omnibus animalibus extremum esse, secundum naturam viuere, non ita accipiendum est, quasi dicamus, vnum esse omnium extremum: sed vt omnium artium recte dici potest commune esse, vt in aliqua scientia versentur, scientiam autem suam cuiusque artis esse: Sic commune animalium omnium secundum naturam viuere, sed naturas esse diuersas, vt aliud equo sit natura, aliud boui, aliud homini et tamen in omnibus summa communis - - vt iam liceat vna comprehensione omnia complecti, non dubitemque dicere, omnem naturam esse conseruatricem sui, idque habere propositum, quasi finem, et ex-*  
tre-

*tremum, se ut custodiat quam in optimo sui generis statu, ut necesse sit omnium rerum, quae natura vigeant, similem esse finem, non eundem. Cui addas SENECAM Ep. CXXI. omnes enim constitutioni conciliantur, in qua sunt. LVCRETIVM de rerum nat. lib VI. v. 983.*

*Esse et habere suam naturam quaeque viasque.*

*Quippe etenim varii sensus animantibus insunt,*

*Quorum quisque suam proprie rem percipit in se.*

Conueniunt igitur animantia in principio, quod ea natura docet, sed sunt diuersa pro sua quodque specie, in conclusionibus inde deductis. Adparet itaque merito illorum esse reiiciendam sententiam, qui, ut bestiis non competere naturae legem probent, ad societatem aliaque hominibus propria prouocare, nec non ius civile de hominum actionibus atque cum illorum negotiis connexis in subsidium adhibere non dubitant. Nullum quoque argumentum erit quod a *Leg. 1. §. 3. Si quadrupes paup. fec. dic.* deducas, neque sibi in hac re Vlpianum contradicere iam supra in §. IV. a nobis adnotatum fuit.

### §. XVII.

Iam nihil restat, quod explanationi nostrae definitionis addamus, quam ut nostrae thesi excusationem paremus, ne quis forte, cum nos conseruationem in suo genere, atque amorem sui ipsius pro principio iuris naturae stabilire videat, eorum castra nos sequi putet, qui hominem in statu naturali a legibus solutum atque ius in omnia habentem sibi fingunt, ita ut status societatis, quem iam colimus, magis ex necessitate naturae mortalium deprauatae, quam ex prima Dei voluntati subordinata natura sit deducendus. Natura

enim hominum ita a Deo est constituta, ut cum non  
 simus omnibus modis perfecti, necessario ad societatem  
 ducamur: neque nostrae conseruationi alio melius  
 modo, quam per alterius commodum a quò mutua  
 officia siue sint tantummodo iucunditatis, siue vtilita-  
 tis stricte sic dictae exspectari possimus, consulamus.  
 Qua in re vere, licet primo intuitu paulo durius, pro-  
 nunciavit SENECA *Ep. IX. ad amicitiam fert illum  
 nulla utilitas sua, sed naturalis irritatio: nam ut alia-  
 rum nobis rerum innata dulcedo est, sic amicitiae. Quo-  
 modo solitudo in odio est, sic in dulcedine adpetitio socie-  
 tatis, quomodo hominem homini natura conciliat, sic inest  
 quoque huic rei stimulus, qui nos amicitiarum adpetentes  
 faciat. Ep. XLVIII. Nec potest quisquam beate degere,  
 qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates conuer-  
 zit: alteri viuas, si vis tibi viuere. Nec non CICERO  
 de fin. Lib. II. cap. XIV. Eademque ratio hominem ho-  
 minum adpetentem fecit, cumque his natura et sermone  
 et usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum  
 ac suorum serpat longius, et se implicet primum ciuium,  
 deinde omnium mortalium societate.*

§. XVIII.

Habes igitur expositionem, secundum quam Vl-  
 pianum defendere possis; si vero paucis verbis eadem  
 fere dicta legere cupis NOODTII *Commentarios ff. de  
 Iust. et Iure p. 4. adeas, in quibus, quae cum nostra  
 sententia exacte congruant, atque a nobis saltem cu-  
 ratius et fusius tractata sint, deprehendas. Sed, ut ad  
 paucissima omnem nostram disputationem reuocemus,  
 eam, quam supra protulimus, interpretationem  
 Vlpiani vnice veram esse, ex his momentis potissimum  
 confir-*



confirmatur. Primum quod illum ex Scholis Stoicorum sua principia hausisse omnes ICTi concedunt, quapropter et hanc definitionem secundum huius sectae rationem, vti a nobis factum, explicari debere, vero fit simile. Deinde respicienda erunt exempla a ICTo adducta nempe *maris atque foeminae coniunctionem, quam matrimonium adpellamus, hinc liberorum procreationem, hinc educationem*, quae omnia ex principio conseruationis sui generis, sine respectu ad societatem, deriuari possunt. Opponi quidem potest, Vlpianum optimum momentum, nempe defensionem sui, hic non adlegasse; sed iam nostras partes in se suscepit *Cl. Noodt. lib. I. cap. V.* probabil. ita rem diiudicans: Vlpianum hic saltem dubia atque obscuriora proposuisse, defensionem vero sui, vti claram omnibusque apertam, de industria omisisse. Porro, -vt nos interpretamur, tam commodus, tamque adcuratus definitionis sensus emergit, qui simul regulis interpretandi exacte respondet, vt meliorem Iuris Naturae definitionem nusquam reperias, neque facile suppeditare queas. Denique et Vlpiani Disputatio de iure gentium nostrum obiectum, vt eius oppositum designat, in qua nihil, quam quod a ratione et ita a natura hominibus propria, non vero a communi naturae effectu dependeat, adfert. Atque haec haec tenus. Quae per nostram, aut operarum festinationem irrepsertunt errata, B.L. excusabit: inprimis autem pag. 5. lin. 5. *similis fera*, et lin. 7.

*Exspirauit*, pro *Exspirat* legendum esse.

monemus.

NOBILISSIMO atque DOCTISSIMO  
RESPONDENTI SVO

S. P. D.  
P R A E S E S.

**C**VM TE primum disciplinae nostrae traderes, DOCTISSIME SCHELL HAFFER, viuidum ingenium et pertinax TVA industria magnos in omni doctrinae genere progressus promittere videbantur. Neque ea opinio falsum me habuit. Quanto enim studio, quantaque cura in litteris, Philosophia et Iurisprudencia adhuc fueris versatus, erudita haec TVA dissertatio documento est. TVA, inquam, dissertatio: quippe cuius et ordinem dispositionemque, et plenam elaborationem TIBI soli deberi, testor. Et qui (praeterquam quod in praelectionibus nostris Philosophicis obiter admonuerim, Vlpiani definitionem Iuris Naturalis minime esse reiiciendam, eamque meam sententiam una atque altera ratione confirmauerim, quas rationes fusius declarasti, et aliis auxisti) vel minimum huius TVI laboris mihi adscripserit, nae ille in TE meque vehementer iniquus erit. Sed fortasse hoc tot verbis adfirmare, superuacaneum est: cum TE maioribus etiam monumentis doctrinam TVAM orbi erudito aliquando adprobaturum esse augurer. Cumque tam bene perspexeris, quod multi, qui ad naturam neque suam, neque aliarum rerum attendere voluerint, omnem suam scientiam extra usum hominum propulerint, magnoque conatu magnas nugae egerint, simul, quam ieiunum sit, hic illic corrasas doctrinas crepare, et causas atque principia negligere, rite teneas: eo cautius meliorem rationem sequeris, omniaque ad TVAM aliorumque utilitatem conferes, et, quod ille TVVS ait, in commune bonus eris. quae res ut felicissime TIBI eueniat, precor. Vale. Dabam ex musaeo die XXIII. Septembr. Anno c1o lcccXXVII.